



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LXXXV. Differentia 11. Iure Canonico valet matrimonium inter tutorem, aut
filium eius, & pupillam vel adultam, cuius ille gesserat tutelam, aut curam
DD.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA II.

Iure Canonico valet matrimonium inter tutorem, aut filium eius, & pupillam vel adultam, cuius ille gesserat tutelam, aut curam DD. in *c. penul. De secun. nupt.* Secus Iure civili, *l. tutor. π. De sponsal. C. De interdicto matrim. contra. inter pupillam & tutorem. Io. Bapt. à S. Blas. 25.*

I. Matrimonium inter tutorem & pupillam, cuius curam gessit, ab *Imp. Severo & Antonio* damnatur in *l. cit.* propter periculum, quod pupillæ in re familiari à tutore imminere potest. Nam fiducia uxoris, quam de marito, ut sibi maximè benevolo habet, cum suarum rerum ignorantia delinquendi audaciam fovet, & corroborat, ut ad se trahat, sibi que vendicet, maritus, quæ suo in peculio esse pupilla ignorat. *Schneidevvin. l. 1. Inst. tit. 10. Par. π. 13.*
Sed quia incommodum hoc temporale, nec generale est, utpote ab improbis &

avaris creati solitum, sacri Canones non attendunt, permittuntq; in prædictis personis matrimonium, quia ex tutela, curæ nullum impedimentum oritur.

II. Adde, quod non immeritò præsumi potest futurum, ut quia maiorem notitiam habet bonorum uxoris suæ, nuptæ pupillæ, facilius & efficacius illa consuevaturum, & aucturum esse, utpote tutoris modò, & particeps communis lucris. Aliena quippe segnius curare humani ingenij commune, & confessum vitium est.

XII. LXXXVI.

DIFFERENTIA 12.

Iure civili mulier, cuius maritus captus est, & incertum, an adhuc vivat, post quinquennium alteri nubere potest. *l. Vxoribus 6. π. De divort. Novel. 22. §. Sed & captivitatis.* Idem iure Canonico non permittitur, nisi de morte prioris mariti certo constet, *c. In presentia. 12. De sponsal. Canif. 37.*

I. Iuliani in *cit. l.* aperta sententia est. Si incertum est, an vivus maritus apud hostes teneatur, vel morte præventus sit, tunc si quinquennium à tempore captivitatis excesserit, licentiam habebit mulier ad alias transire nuptias; ita ta-

men ut bonâ gratiâ dissolutum videatur pristinum matrimonium, & unusquisque jus suum habeat immutatum. Eodem iure & in marito incertitate degente, & uxore captivâ obli-